Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

puniri meruisset, aut hic eligi, nisi utique utrumque potuisset. Hoc de Cain et Abel fratribus, hoc etiam de Esau et Iacob geminis intelligendum est. Ac sciendum solam voluntatem causam esse quod in eadem natura merita diversa sunt. Extinctum pro peccatis suis diluvio mundum Noe iustus redarguit: et Sodomorum crimina Loth sanctitas iudicavit. Nec illud est parvum argumentum ad comprobandum naturae bonum, quod primi illi homines per tot annorum spacia absque ulla ammonitione legis fuerunt, non quia cura Deo utique aliquando creaturae suae non fuerit, sed quia se talem sciebat fecisse hominum naturam, ut eis pro lege ad exercendam iusticiam sufficeret. Denique quamdiu adhuc recentioris naturae usus viguit, nec humanae rationi velut quandam caliginem longus usus peccandi obduxit, sine lege natura dimissa est. Ad quam dominus nimiis viciis iam obrutam et quadam ignorantiae rubigine infectam limam legis admovit, ut huius frequenti admonitione expolita et ad suum possit redire fulgorem. Neque vero alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quam longa consuetudo viciorum, quae nos infecit a parvo, paulatimque per multos corrumpit annos, et ita postea sibi obligatos et addictos tenet, ut vim quodammodo videatur naturae habere. Omne illud tempus quo negligenter educti, id est ad vicia eruditi sumus, quo mali esse etiam studuimus, cum ad incitamentum nequitiae innocentia pro stulticia duceretur, nunc nobis resistit, contraque nos venit, et novam voluntatem impugnat usus vetus. Et miramur cur nobis pocium adque desidiam nescientibus etiam ab illo sanctitas conferatur, qui nullam consuetudinem boni facimus, cum malum tamdiu didicerimus. Haec de naturae bono cursim quasi

in alio opere dicta sunt. Quod ideo faciendum a nobis fuit, ut tibi planiorem viam ad perfectam iusticiam sternerem, quo in eo facilius currere possis, quo in ea nichil asperum, nichil inaccessibile esse cognoveris. Nam si etiam ante legem ut diximus et multo ante domini nostri salvatoris adventum iuste quidam vixisse et sancte referantur, quanto magis post illustrationem adventus eius nos id posse credendum est, qui instructi per gratiam Christi et in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine expiati atque mundati illiusque exemplo ad perfectam iusticiam incitati, meliores esse debemus quam illi qui ante legem fuerunt, meliores etiam quam qui fuerunt sub lege, dicente apostolo: Peccatum in vobis iam non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Et quoniam hic sufficienter ut puto diximus, nunc instituamus perfectam virginem, quae ex utroque semper accensa, et naturae simul et gratiae bonum morum sanctitate testetur. Primum ergo cura virginis primumque studium sit scire voluntatem domini sui, et quid ei placeat quidve displiceat diligenter inquirere, ut secundum apostolum rationabile Deo reddat obsequium, totum vitae suae cursum ex eius possit ordinare sententia. Impossibile enim est ei quemquam placere qui quid ei placeat ignorat, fierique potest ut etiam obsequendi voto offendat, qui quomodo obsequi debeat ante non didicit. Et ut maius est voluntatem facere quam nosse, ita prius est nosse quam facere. Illud enim merito praecedit, hoc ordine. Unde propheta dicit: Et tu Israel noli ignorare. Et beatus apostolus: Qui autem ignorat, ignorabitur. Idemque alibi: Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas domini. Inicium obedientiae est quod praecipiat